

1706.

1. Benckendorff, Iohannes Henricus : De assassinio.
2. Coccejus, Henricus : De iusto praeliorum exitu
- 3<sup>rd</sup> Coccejus, Henricus : De abuso mandatorum sine  
clausula. 2 Sept. 1706 - 1714.
4. Coccejus, Henricus : De funga.
5. Fahrenius, Conradus : Bipartitio in ang. haematologica  
medica et de ejus peccantie restitutione in integrum
6. Rhodius, Marcus : De Tutoris datione.
7. Rhodius, Marcus : De servitiis feudatis  
vasallorum Pomeraniae Orientalis.
8. Rhodius, Marcus : De clericorum iusticie seculari.
9. Schultz-Galecki, Francis, a : De camera Imperiali cum  
iusticie publico non concorrente

1707.

1. Coccejus, Henricus : De libris actatis

1708

1. Coccejus, Henricus : De antidotois.
2. Coccejus, Henricus : De vero debatore sententia  
absoluta.
3. Coccejus, Henricus : De distinctione bonorum
4. Rhodius, Michael : De differentiâ iuri et facti.
5. Sturmius, Leon. Christ. : De arte fluminis reddendis  
marigatilia
6. Vetus, Frenaeus : De plethoris pulmonari haemop-  
ticosum.

1709.

1. Bergen, Ioh. Georgis : De palpitatione cordis
- 1<sup>a</sup> Bergen, Ioh. Georg : De lumen structura et uon
2. Coccejus, Henricus : De praesentatione qualitatis  
fonsalio communitatum.

3. Coccejus, Henricus: De executorsibus testamentariis  
et jure patrumatus.

4<sup>a</sup> et 6<sup>b</sup> Coccejus, Henricus:  
= Coccejus, De charactere statuum superiorum  
der Rechts-Handschafft 2 Baul. 1709-1739.

5. Coccejus, Henricus: De actore ad agendum iusto.

6. Coccejus, Henricus: De cessione eorum, quae ad  
heredes non transerant, et contra.

7. Wernerus, Adamicus Balthasar: De iustis cau-  
sis dissensus parentum a nuptiis liberorum.



B. C. D. 1706, 3a 3/  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
*DE*  
**A BUSU MANDATO-  
RUM SINE CLAUSULA,**

Quam

IN ALMA VIADRINA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

*AUGUSTO ET SERENISSIMO REGIO PRINCIPE AC DOMINO,*

*GJ.*

**FRIDERICO WILHELMO,**

REGNI BORUSSIÆ ELECTORATUSQUE BRANDENBURGICI  
HEREDE, &c. &c. &c.

*Ex DECRETO & AUTORITATE MAGNIFICI FCTORUM  
ORDINIS IN ALMA VIADRINA,*

PRÆSIDE

**DN. HENRICO COCCEJO,**

AUGUST. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ

CONSILIARIO INTIMO,

*DOMINO FAUTORE atq; STUDIORUM SUORUM  
PROMOTORE ÆTERNUM DEVENERANDO,*

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES

ritè capessendi,

*Ad D. XVII. Iuli Ann. M DCCVI.*

IN AUDITORIO MAJORI

*Horis ante- & pomeridianis*

Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit

**REGENERUS CASP. HENR. HOMBERG.**

Hasf. Casf.

FRANCOF. ad VIADR. Literis CHRISTOPH. ZEITLERI.

De statu & condicione Novae Galliae

# A H U S I M A N D A G O R U M E N I C A L U S U L A

BRIDERICIO ALHEMIO  
REGNI POLONAE ET CLOTHARIAE BRUNDISIENSIC  
REGNI POLONAE ET CLOTHARIAE BRUNDISIENSIC  
HERALDUS DE BEAUMONT  
EX LIBRIS VITAE ET MORUM ALHEMII

DR. HENRICO COCOJO  
VAGANTI AD PORTUNIUS FECIT BUDOSSE

CONSTITUTIO INITIOS  
DOLINUS MAGISTER DE STAVORUM SAVRAN  
TACOMOLO TAKAM DIES EASTERNO

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN ITALIAE LIRE HONORES

AN D. XIX. J. III. AN. M. D. XXV  
IN ALEXANDRO WHORN  
HON. ET. S. F. P. M. D. M. D.

Regnus Caesar Henr. Hornberg  
Habat C. C. C.

LXXXVII A. M. L. CHRISTOPH. MELLER

DEO,  
PRINCIPI  
PATRIÆ,  
MECÆNATIBUS,  
PATRONIS,

Omnibus cùm Affinitatis, tùm sanguinis aut  
Amicitiae necessitudine sibi junctis, atq;  
ad ultima vitæ suspiria colendis,

Uti omnia sua studia, ita & hanc Disputatio-  
nem Inauguralem, in debitæ devotio-  
nis tesseram eâ, quâ par est, reverentiâ

*Dedicat & offert*

RESPONDENS.

DEO  
PRINCIPI  
PATERIA  
MAGNITUD  
PATRONIS

Contra quod Aliud est, non possit  
Ad aliud, non possit aliud, sed  
ad aliud, non possit aliud, sed

contra aliud, non possit aliud, sed  
ad aliud, non possit aliud, sed  
ad aliud, non possit aliud, sed

RESONANS

# COROLLARIA.

I.

Querela inofficiosi & petitio hereditatis  
duæ distinctæ actiones sunt, non una.

II.

Cùm actione amissa restitutio datur, re-  
scindens & rescissorium semper duo distincta  
remedia sunt.

III.

Querelæ inofficiosi locus non est, si cau-  
sa exheredationis vel præteritionis adjecta non  
fuerit.

X.

Bonæ fidei possessor nec fructus perce-  
ptos acquirit, nec Publicianam habet, nec usu-  
capit, si titulum non habeat.

V.

Ille acquirit fructus etiam naturales: non  
vero extantes.

VI.

Nuda pacta nec hodie in id confirmata  
sunt, ut actiones ipso jure tollant.

VII.

Fidejussiones, novationes, acceptilatio-  
nes, nec hodie nudis pactis fieri possunt; sed  
fi

A  
COR  
VIR

\* (\*) \*

si fiant, sunt pacta constituti, de non peten-  
do. &c.

VIII. Quibus iustitia beatis perdidit

Procurator universalis & etiam libera, nec  
Jure Canonico differunt.

IX.

Familiae erescundae, communis dividun-  
do, finium regundorum judicia sunt ex utraq;  
causa juris in rem & juris in personam, verissime  
mixta: Hoc ex jure in re & delicto vel quasi;  
illa ex jure in re & quasi contractu.

X.

Petitio hereditatis itidem mixta est,

Item, in agione iurius beatis



## SUMMARIA.

1. Non argui hic abusum mandatorum S. C. sed doceri, quando fiat.
2. Mandatorum origo ab interdictis.
3. Judicium inchoari à Mandato, repugnat regulariter natura, rationi, omnig. juri: quod probatur:
4. I. Est velut judicium. cæci de colore &c.
5. II. Tollit eo omne Judicis officium, & judicii usum.
6. III. Non Judicis sed predonis id est.
7. IV. Nec umbram aut speciem judicii esse, sed aleam.
8. V. Nec esse posse. Dei judicium, ut debet.
9. VI. Quām id repugnet juri communi.
10. VII. Quām juri divino & nature.
11. IX. Sacram Juris regulam esse, ne à præcepto inchoetur.
12. Interdicta in quibus causis prodita sint.
13. In publicis rebus sine injuria ea admitti posse.
14. In privatâ interdicta nunquam excludere defensionem rei.
15. Cur in possessionibus permisum ab interdictione incipi.
16. Quale indecompendium litia fiat.
17. In nullo interdicto ademta est reo defensionis copia: quod probatur in interdictis adipiscenda.
18. Item recuperande & retinende.
19. Nullum interdictum purè fieri, sed in esse conditiones, quæ existere & probari debent.
20. Mandata sine clausula, quibus excluditur defensio rei, toto jure esse incognita.
21. Nec dari posse, nisi de facto Judicis constet.
22. Si nihil praestari aut cedi, sed tantum rem integrum servari mandatur, admitti posse ex justis causis, & hoc pertinere die vier Fälle.
23. Hi recensentur ex O. C.
24. Eos ita crudeliter & generaliter intelligi non posse demonstratur.
25. I. Solus primus casus sufficeret, ut ex omnibus causis & interdictis mandata S. C. dari possent.
26. II. Per eum casum velex omnibus interdictis danda mandata S. C. vel ex nullis: Ibi de duplice formula interdicti, que vel juris vel facti est.
27. Per modum juris seu generaliter omnia mandata concipi posse sine clausula, sed nullo usu.
28. Per modum facti, nullum posse, si factum dubium sit.
29. Exponitur, quidm absurdum fore, mandata de facto dubio sine clausula edi.
30. Sequi ergo ex primo casu, vel omnia vel nulla fore mandata S. C.
31. Eadem absurdâ & dubia oriri quoque ex reliquis tribus casibus, in facto dubio.
32. Mindanus hos processus. Prædonum & Cyclopicos vocat.
33. Adst. utitur verus 4. casuum sensus; ut primus obtineat in facto quod Judicium liquidum est; exemplū in judicato.
34. Item, si in genere mandatur, quod jure statutum est; exemplum in opere nunciato demoliendo. Quod tamen si applicatur.

- applicatur ac speciem facti dubii, can-  
 sac cognoscenda est.  
 35. Aliud exemplum ex novi operis nun-  
 ciatione.  
 36. Item in mandatis de non offendendo.  
 37. Conclusio primi casus.  
 38. Nec propter reliquos tres casus fa-  
 ctum dubium injungi posse, sed tan-  
 tum suspendi ut res integra interim  
 maneat.  
 39. Hactenus nihil iniquitatis esse, si pro-  
 per hos casus suspensio fiat.  
 40. Ultra hos fines autem, si aliquid  
 prestatari aut cedi ex facto dubio man-  
 datur S. C. videtur Cyclopicum.  
 41. Occurritur objectioni, quod manda-  
 tis S. C. inst quoq; clausula, & inde-  
 dari exceptiones sub- & obreptionis.  
 42. Responderetur eam clausulam in facto  
 dubio non differre re & effectu à ju-  
 stificatoria.  
 43. Hoc demonstratur ex natura harum  
 exceptionum.  
 44. Et vi ipsius clausule inserta.  
 45. Idem fatetur Gail. N. Hisius distin-  
 tionei mandatorum & clausularum  
 nulla mentio ante O. C. p. 2. t. 23.  
 46. Mindant sententia, quā re clausule  
 he differant.  
 47. Quām absurdā & frivola illa sit,  
 pace ipsius ostenditur.  
 48. Occurritur objectioni. Cur ergo im-  
 probantur mandata S. C. etiam ul-  
 tra suos fines, si reo integra sit de-  
 fensio.  
 49. Resp. Quia conjuncta sunt cum in-  
 credibili partis & Statū præjudicio;  
 & recensentur q. præjudicia summa.
50. I. Omnibus mandatis statim jungun-  
 tur pœnarum direc; in mandatis S. C.  
 reus statim quoq; in eventum dannat-  
 tur in pœnas, quod vel privatis grave.  
 51. II. Mandata S. C. auferunt Statib-  
 us beneficia primarum instantiarum.  
 52. III. Et beneficium reconvencionis.  
 53. IV. Et ultimæ defensionis commodum.  
 54. Hec præjudicia in infinitum extendi,  
 si mandata S. C. hos fines excedere  
 possint.  
 55. Intra hos fines usus hujus clausule  
 est, ut causa ex q. casibus allegata im-  
 pingari posse, non ut factum.  
 56. Justificatoria verò, ut & factū ipsum,  
 non tamen ultra quam in judicium de-  
 ductum & mandato comprehensum.  
 57. Etsi, quod juris est, in genere manda-  
 ri S. C. possit, si tamen promiscue id  
 liceat, in omnibus causis possent man-  
 data S. C. dari.  
 58. Non igitur id fieri potest regulariter,  
 sed cum interdicta jure prodita sunt:  
 & facilius si saltem mandetur, ne quid  
 in futurum fiat.  
 59. Tale interdictum esse, Ne pignora-  
 tiones vel arresta contra leges Im-  
 perii fiant, idq; adē in genere seu  
 p. r. modum regule sine clausula in-  
 terdici posse.  
 60. Verum ejus usum non esse, si factum  
 negetur; sed de eo tam cognoscit: quin  
 usū in factum quoq; concipi, & sic ef-  
 fectu in his causis esse instar clausule  
 Justificatoria.  
 61. Hoc cum in odium pignorationum &  
 & arrestorum singulariter permis-  
 sum sit, è magis cavenda extensio.

DISPU-



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
*DE*  
ABUSU MANDATORUM SINE  
CLAUSULA.



§. 1.  
um de abusu mandatorum sine  
clausula agimus, non est pro-  
positi nostri arguere alios, ne-  
dum judicia; non magis quam  
officii, refellere autoritatem  
publicam. Neque nunc dis-  
quirimus, an passim fiat ho-  
rum mandatorum abusus, sed  
quam facilè fieri poscit: & in-  
stitutâ eorum collatione cum rationibus juris com-  
munis, dispiciemus, quo usque iis convenient, aut  
quantum ab iis recedant; factaque omnium suminâ,  
apparebit, quam caute, quam timidè iis utendum sit,  
ne notissimos justitiae fines excedant, & omnem æqui  
bonique causam, summo omnium periculo, per-  
vertant.

§. 2.  
Mandatorum, quæ vulgo distingvuntur in man-  
data cum clausula & sine clausula, origo ab interdi-  
ctis juris communis cœpit: quæ nihil aliud sunt,  
quam mandata judicis, quibus ille ad partis unius in-

A stanti-

**2** *Disputatio Juridica Inauguralis*  
stantiam, non præmilia citatione & causæ cognitiōne, alteri parti mandat; jubet, interdicit, aliquid fieri, vel non fieri: diciturque hodie *Processus Mandatorum.*

§. 3.

Talis verò Processus per se quidem adversatur Naturæ, omnique Juri quām maximè, quia invertit naturalem & legitimū judicij ordinem. Naturā enim prius est noscere quam judicare: & per naturam impossibile est jus de facto dicere, quod nondum cognoveris.

§. 4.

Etenim omnis hæc quæstio est de jure inter partes dicendo, quod statui debet de facto ambiguo & inter ipsas partes controverso. Non potest autem per naturam statui, nisi factum cognitum exploratumque fuerit. Et, si quis judicium faciat de re quam non ante cognovit, quid illud aliud est, quām judicium cœci de colore, aut surdi de cantu? quod per naturam fieri nequit. Ut enim de colore non nisi vi-sus, de cantu non nisi auditus, ita de facto ejusq; jure non nisi intellectus judicare potest, quem ignorantia in totum non minus tollit, quām cœctas vi-sum, ac surditas auditum. Non potest igitur per naturam ullum de re ferri judicium, causā non cognitā.

§. 5.

Et alias desineret penitus omne judicis officium, omnisque ejus constituendi ratio, quæ non alia fuit, quām ut scireretur, cuius partis jus vel possessio potior esset. De eo enim, cūm ipsis partibus credi non possit, tum quia ob suæ quisque causæ studium suspecti sunt, tum quia invicem pari utrinque jure ac fide

*de Abuso Mandatorum sine Clausula.*

3

fide contradicunt, ut nec utriusque nec alterius assertioni stari queat, necesse omnino fuit tertium assumi, qui à causa & partium studio alienus, exploraret primum, atque ita judicaret, utrius intentio justior esset.

§. 6.

Quod si non fiat, planè nec opus judice aut iudicio, nec judicium erit. Quid enim interest, pars an iudex alteri invito rem eripiat, si non præcessit hujus cognitio: atque sic, uti pars, ita & iudex non iudicis sed Prædonis vices implebit, nec jus sed injuriam dicet ac statuet.

§. 7.

Porro, nec ulla erit hoc factio iudicij umbra, aut species, sed torum mera alea: quin multò alea pejus: in hac enim pars utriusque partis est conditio, pars utrinque spes & periculum; at in illo facto iudicis omnia contraria; adeo ut, cum ad solam unius partis relationem aliquid adversus alterum inauditum decernitur, non tam illius optima, hujus pessima conditio sit, quam illius sola, hujus nulla ratio habeatur.

§. 8.

Hoc vero tantò majus nefas habendum, quo magis constat, omne iudicium esse DEI iudicium, quod ipse hominibus mandavit & per eos exercet. Cum eo autem nihil magis adversa fronte pugnat, quam loco Judicis Prædonem agere, & jus non tribuere (quod nisi cognitum sit, fieri nequit,) sed contraria eripere: et si enim rei id jus forte non sit, intelligitur tamen esse, donec aliud appareat.

A 2

§. 9.

4 Disputatio Juridica Inauguralis

§. 9.

Atque haec constans & perpetua quoque est iuris communis sententia, immotaque doctrina. Ita in l. 1. C. de Execut. rei jud ex naturae ordine infertur, Prinus esse cognosci causam & tum iussum judicis sequi, atque hoc servato ordine causam cognitam demum sententiam accipi. Et in l. pen. C. eod. tit. non agnoscitur alius executor, quam ille solus, qui post sententiam inter partes auditam omni ac discussa lite prolatam, rei judicatae vim ad effectum adducit. Pariter in l. 47. pr. ff. de Rejud. simpliciter dicitur: De NB. unoquoque negotio praesentibus omnibus, quos causa contingit, judicari (non ante decerni, ne dum mandari,) oportet s' aliter enim judicatum tantum inter presentes terret. Idem inculcatur generaliter in l. 4. C. de sent. & interl. l. 2. C. de sent. ex peric. l. 3. l. 5. C. commin. epist. l. 5. C. de jur. fift. l. 9. §. 2. ff. de Offic. Proc. &c. Hinc si Judex nulla praetedente sententia pignora capi justit, revotari ea possunt. l. 58. ff. de Rejud. sententia vero est id quod judex de causa, quam cognovit, sentit: pignora autem Judex tantum capi ac distrahi jubet vel mandat. l. 15. §. 2. ff. de Rejud. Hoc igitur nullius momenti esse statuitur, nisi illud praecesserit.

§. 10.

Idem traditur, & exemplo ipsius Dei Omnipotentis firmatur, in c. 20. cauf. 2. quæst. 1. & exemplo Moysis, in c. 70. cauf. 11. quæst. 3. Unde consentiunt DD. id divini naturalisve juris esse, ne sententia detur, ne dum executio fiat, aut per mandata inchoetur, nisi causam ante cognitam & parte auditam. Panorm. in c. 5. X. de cauf. poss. & propr. Felin. in c. 12. de constit. Unde auctor, qui ejusmodo Cyclopicum nullitatis processum institu-

*de Abuso Mandatorum sine Clausula.*

instituit, non ut judicem, sed ut latrunculum coēr-  
cendum esse, merito inquit Frid. Mindan. *de Mandato*,  
*lib. 2. cap. II. n. 4.*

§. 11.

Atque inde immota illa & sacra quasi juris  
regula nata est, *A mandato seu praecepto non esse inchoan-*  
*dum: quæ gemina est alteri illi, Ab executione non esse*  
*inchoandum: cum mandatum judicis, ut vel ne quid*  
*fiat, sit species executionis.* Quin judex ipse non ali-  
ter exequitur quam per mandata, seu jubendo im-  
perandoque aliquid fieri vel non fieri. Et hinc *jubent-*  
*do* judex dicitur *exequi* in *l. 15. s. 2. ff. de Rejud. & ex-*  
*ecutio fieri per mandata, quæ inde dicuntur Executo-*  
*rialia. Ord. Cam. part. 3. tit. 4.* Hinc jure communis  
executio nomine imperii venit, quod ideo cohærere  
jurisdictioni, atque inde *imperium mixtum, & vice versa,*  
*imperio jurisdictione inesse* dicitur. *l. 3. ff. de jurisd. l. fin.*  
*ff. de Offic. ej.* Ut certo certius sit, hoc verbo Imperii  
nihil aliud intelligi, quam executionem in causis civi-  
libus, quæ sunt jurisdictionis.

§. 12.

Videndum ergo jam, cur secus fiat in interdi-  
ctis & mandatis, & quoisque defendi & salvâ justitiâ  
admitti possit, quod a mandato inchoetur? Equidem  
interdicta in genere ex duabus ferè causis prodita  
sunt: pertinent enim plerumque ad defensionem vel  
locorum publicorum, vel privatæ possessionis.

§. 13.

Quantum ad loca publica, in arbitrio Magistra-  
tus est, quoisque usum eorum privatis concedere,  
aut eos inde summovere velit. Idque definitivit Prä-  
tor

6

*Disputatio Juridica Inauguralis*

tor egregiè per varia interdicta de locis, viis ac fluminibus publicis. Nec adeò inde ulla privatis querendi causa est, sed sine cuiusquam injuria & indignatione de publicis his rebus Prætor jure suo interdit. Nec de iis ergò nunc agimus, sed de causis privatuarum possessionum ac jurium.

§. 14.

Et verum quidem est, ita hæc interdicta composita esse, ut ab iis inchoetur proceſlus; at nullum eorum est, quin per id integra sit parti adversæ respondendi defendendique sui, atque adeò irritandi, causâ cognitâ, mandati facultas.

§. 15.

Re igitur nullum parti præjudicium fit, et si à mandato inchoetur; quod in causis possessionum i-deò singulariter constitutum est, ut eo diligentius carveretur, ne partes ad vim venirent, quod maximè metuitur & facillimè accidit in causis possessionis. Cùm enim per vim illicitam quoque acquiratur possessio, quippe in qua non quæritur de jure, facile ejus obtainendæ studio ad vim procedi solet, quod ne fieret & permitteretur, publicè interest. Unde Prætor in primis vim interdictis prævertere voluit, eamque illicò ab initio vetuit.

§. 16.

Accedit causæ compendium, haud leve momentum ad vim amoliendam. Cùm enim aliás per citationum, dilationum, litis contestationis, aliorumque quibus judicium præparatur, ambages ac moras trahi causa & instrui soleat, iis omnibus præcisus illicò quid fieri debeat interdictur. Cui mandato si pars acqui-

acquiescat, magno compendio lis de possessione finita,  
& declinata, ne haec tenus processu opus est. At si pars  
deferre mandato nolit, sed eo se gravatum existimet,  
eo non tenetur, sed poterit causas exceptionesque in  
judicio allegare, & jus suum perinde ut alias tueri.  
Quo facto lis ordine decurrit, & mandatum compa-  
ritione partis resolvi dicitur in cirationem. *Gail. lib. 1.*  
*Obs. 19.n.5. Frid. Mindan de Mand. l. 2.c.7. Mæv. p. 1. dec. 2.n.6.*

§. 17.

In nullis itaque interdictis ei, adversus quem-  
eduntur, adempta est copia respondendi, excipiendi,  
defendendi, nec exclusa horum cognitio, sed e con-  
trario implicitè reservata: uti inductione omnium o-  
stendi potest: v. gr. In Adipiscendæ interdicto *Quo-*  
*rum bonorum*, Prætor ita mandat seu interdicit:  
*Quorum bonorum ex edito meo illi possessio data est: quod*  
*de his bonis pro herede aut possessore possides possidere* *se, si*  
*nihil usucaptum esset: quod quidem dolo malo fecisti ut de-*  
*finneres possidere, id illi restituas.* Hæc omnia igitur,  
veluti requisita num adsint, cognosci debet, si pars  
adesse neget; uti si neget possessionem petenti da-  
tam; vel, se pro herede aut possessore possidere; vel  
dicat usucaptum esse; vel se non desuisse dolo possi-  
dere, &c. cessabit vis & conditio interdicti, adeoque  
id hoc casu cognoscendum omnino supponitur.

§. 18.

Pariter in recuperandæ interdicto jubetur: *Un-*  
*de Tu illum vi dejecisti, restituere.* Si ergo neges Te vi  
dejecisse, vel si contendas, in continent Te recupe-  
ràsse possessionem Tuam, cessabit interdictum. *L. 17.*  
*ff. unde vi. adeoque id omnino cognosci debet.* Ita  
in

**S** 8 *Disputatio Juridica Inauguralis*  
in omnibus Retinendæ interdictis semper ait Prætor:  
*Utinon vi, clam vel precario alter ab altero possidetis vel usi  
estis, quo minus ita possideatis vel utamini, vim fieri veto.*  
Si itaque negetis ita vos possedisse vel usos esse, non  
potest utique aliquis interdicti effectus esse, nisi hæc  
cognita antè fuerint, quia aliter interdictum non fuit.  
Atque ita in omnibus interdictis cæteris.

§. 19.

Patet igitur hinc, nullum interdictum pure fieri, sed semper poni casum habilem, adeoque inesse semper conditionem, quæ si non existat, deficit interdictum, adeoque si pars neget existere, non potest executio interdicti fieri, nisi appareat quæ ei adjecta est vel inest conditio, adeoque de eo cognitum fuerit. Nunquam itaque, quories v. gr. de fundo inter te & me contenditur, Prætor interdicto jubet, *ut fundum mihi restitus*, sed ut. *Unde Tu me vi dejecisti, vel quod à me vi, clam vel precario tenes, mihi restitus.* Prius cum natura pugnat, quia Judex nescit, an fundus restitui jure debeat, nisi prius de causa cognoverit. Alterum verò tutò juberi potest, quia id certissimi juris est, ut vi dejectus restituatur, sed si negetur vi dejectum esse, non est ille aut non appareret interdicti casus seu species, adeoque factum id sit nec ne, utpote lex interdicti, ante omnia constare proinde ac cognosci debet.

§. 20.

Unde liquet, talia mandata sine clausula, quibus excluditur cognitio causæ & defensio rei, Juri communi prorsus esse incognita, eique non minus quam Naturæ, æquitati, & rationi penitus contraria; neq; ejus

III

*de Absu Mandatorum sine Clauſula.*

ejus exemplum toto Jure proditum esse, aut illum  
apparere vestigium.

§. 21.

Equidem si factum ipsum quoque certum in-  
dubiumque sit, nihil impedit quo minus mandato  
jus injangi parti adversae possit, exclusa ejus contra-  
dictione; uti cum post rema judicatam mandatum de  
solvendo vel exequendo datur: hoc factum enim  
Judici ex actis & judicato constat. Et hujusmodi  
xtemum mandata, cum & jus certum est, nec factum  
quoque in dubitationem venit, purè & sine ulla clau-  
ſula intelligi ac edi posse, facile liquet.

§. 22.

Sed nec tum à ratione & jure mandatum ab-  
horret, cum eo tantum tendit, ut res integra & in  
eodem statu maneat, donec de jure cognitum fuerit,  
modo justa sit rei suspendendæ causa. Equidem regu-  
lariter parte non audita ne interpellari quidem aut  
suspendi usus alicujus sine injuria potest; sed unicui-  
que qui utitur aut poscidet, libera utendi possidendi-  
que, facultas relinquenda est, donec causâ cogitâ de  
jure statuatur. At justæ cauſæ esse possunt, ut satius  
& æquius sit, rem interim integrum servari, quam  
inclinatam restituī. Et huc referri possunt quatuor  
illi casus vexatissimi, vulgo die vier Fälle / relati in  
Ord. Cam. part. 2. tit. 23. §. 1. qui locum mandatis sine  
clauſula facere dicuntur, & paucis excutiendi sunt.

§. 23.

Illi verò quatuor casus, seu mandatorum sine  
clauſula vel causæ vel exempla, hi sunt: (1) Si quod  
interdicitur per se de jure vel consuetudine vetitum  
fuerit. (2) Si damnum alias irreparabile emerserupi-  
fit.

B

20 *Disputatio Juridica Inauguralis*  
sit. (3) Si quid contra publicam utilitatem, vel (4)  
Periculum in mora foret.

§. 24.

Ethorum casuum verba quidem plana sunt, sed de finibus eorum & quousq; extendi queant, res est tam involuta ut quæ maximè. Quod si enim tam crudè & generaliter intelligentur ut concepta videntur, nihil afferri potest absurdius.

§. 25.

Etenim (1) ita vel casus primus sufficeret, ut ex omnibus interdictis indistincte decerni mandata sine clausula possent: quia nullum est interdictum, quin quod eo continetur, per se, ipso jure, quin ipsâ naturâ jussum veritumve sit, adeoque pertineat ad hoc exemplum der vier Fälle. Neque verò omni jure minus interdictum est, ut vi dejectus & spoliatus restituatur, quam ne quis in possessione sua vi aut clam turbetur, & tamen priore casu cum clausula, altero sine clausula decerni dicuntur mandata.

§. 26.

(2) Sanè dicendum est, vel ex omnibus interdictis æquè dari posse mandata sine clausula; vel ex nullis. Illud, si mandatum generaliter, atque adeò de jure conceptum sit; hoc, si specialiter de certo facto: adeoque illud, si jus; hoc, si factum in interdictum veniat. Prius fit cùm ita, ut sunt interdictorum formulæ, concipitur: *Quo Tu fundo Sejum dejectisti, eum ipsi restitusas.* Posteriorus ita: *Fundum Sejanum, quo Sejus Se à Te dejectum questus est, ipsi restitusas.* Prius juris præceptum, alterum facti assertio est. Et sic in altero Retinenda exemplo prius fit, cùm ita interdicitur: *Uti Tu fundum vi, clam vel precariò possedisti, quo'*

*de Abuso Mandatorum sine Clausula.*

ir

*quod minus ita posideas, vim fieri voto. Posterius, cum ita: Quem fundum Sejanum Te non vi, clam vel precario possidere dicas, quod minus ita posideas, vim fieri voto. Prior formula itaq; juris est; altera facti, in utraque specie recuperandæ & retinendæ.*

§. 27.

Prima enim regulam Juris in genere exhibet:  
*Quod vi abstulisti, redde. Vel, Posfidenti vim ne facito:* quæ utraque æquè indubii juris est, nec de ea regula partes contendunt, sed de facto. Et certum igitur est, in neutro exemplo opus esse cognitione aut justificatione, adeòque nec clausula, quin ne mandato quidem aut processu; cum de hoc jure nemo disputeret.

§. 28.

Altera verò mandati formula de certo facto, quod una pars allegat, concipitur, & ei ante causæ cognitionem, ac parte alterà nondum auditâ, jus illud & mandatum applicatur, ita: *Quod Sejus queritur sibi à Te vi ablatum, redde. Vel, Sejo se poscidere afferenti, vim ne facito.* Utrumque facti & æquè incertum est; utrumque æquè Judici ignotum, nisi cognoverit; neutrum est nisi unius partis relatio. Nec magis credi potest alleganti, *se à me vi dejectum, quām se poscidere quod ego posideo.* Atque adeò Judex, antequam de facto cognoverit, salvo jure, salvâque conscientiâ neutrum pure mandare potest, nec magis præcipe-re, *ut ego cedam possessione,* quia alter dicit, *se poscidere quam ut ei reddam,* quia dicit *vi sibi ablatum esse.*

§ 29.

Enimverò, si unius partis relatio sufficeret ad executionem, & ideo, quia Tu dicas, te à me vi de-

B2

*jectum*

jectum fundo esse, vel te non vi, clam aut precario possidere, ego cedere vel abstinere debeam possessione, et si verè possederim, Deum immortalem! quæ tandem tuta foret possessio, quin à pessimis hominibus, se possidere non vi, clam, precario, flagitibus, inverti mandatis posset? Quæ non futura esset rerum possessionumque perturbatio & confusio, & non juris, sed injuriarum & mendaciorum executio? Et cur non æquè staretur unius partis afferationi, se dejectum, quam se vi turbatum, dicentis? Quin cur minus fides habenda esset parti neganti, se vim fecisse aut alterum possidere, quam id afferenti? contra naturæ sensum omnemque rationem, quæ afferenti incumbit probatio, non neganti.

## §. 30.

Igitur (3) cum in omnibus, saltem haec tenus, eadem ratio sit, dicendum omnino est, ex omnibus æquè interdictis danda esse mandata cum clausula, vel ex omnibus mandata fine clausula: quia in omnibus jus æquè certum, factum æquè incertum est.

## §. 31.

Non minus scrupulorum hæret in reliquis speciebus der vier Fälle. An enim ex eo, quod tu dicas Te irreparabile damnum passurum, aut periculum in mora esse, sequitur, me cedere tibi jure aut possessione ante debere, quam de eo cognitum fuerit? Aut an illud ex nuda ista assertione statui ullo jure potest? Non potest Iudex dicere, restituendum vel faciendum aliquid esse propter damnum irreparabile, si nesciat tale damnum esse; quod autem scire nequit, nisi parte alterâ audiri cognoverit. Imò quod magis

*de Abuso Mandatorum sine Clausula*

magis est, non potest damnum alicujus irreparabile videri, nisi appareat an damnum sit; non est autem damnum ejus, cuius jus non est, cum omnis privatio præsupponat habitum. Cum igitur mandatum hoc non sit permisum, nisi cum damnum est irreparabile, certum est, te contra me obtinere non posse, nisi probes damnum; adeoque & jus tuum esse, quod nisi causâ cognitâ & me audito probari nequit.

§. 32.

Idem est, si ideo mandatum adversus me petit, quod periculum sit in mora &c. Cum enim hæc omnia, in quibus causa & fundamentum mandati sita sunt, facti sunt, ante omnia apparere debent, si pars rea neget. Etenim, ut jam dictum, à fano sensu plane abhorret, actoris, cuius est probatio, assertioni potius stari, quam rei defensioni & negationi, cui etiam sine probatione creditur. Unde Mind. d. tr. r. 13.n.21. hos processus sit esse, non juris sed injuria, non boni viri, sed latrunculi; non Judicis sed Tyranni; non Dei, sed Diaboli. & alibi, Cyclopicos dixerat.

§. 33.

Cum igitur certum sit, hos casus ita generaliter, uti concepti videntur, intelligi non posse, vindendum jam de eorum finibus, quos excedere nequeunt. Illi vero vel ex hac tenus traditis haud obscurè apparent. Et primùm quidem certum est, mandata sine clausula, & exclusa defensione rei, nunquam injungi reo posse, ut aliquid agat, vel aliquo iure aut possessione cedat, nisi, ut de jure, ita & de facto judici constet: uti si sint mandata de satisfaciendo rei judicatae. Quod accurate & optimè ita definit Mev. part.7. dec.92. in fin. ubi mandatum sine clausula ideo negatum docet, quia in facto versabatur, quod

§. 34.

Simile est, si in facto, quod mandato injungitur, nulla inter partes controversia sit, aut esse queat. Hoc sit, quando post operis novi nunciationem ritè factam, petitur mandatum demolitorium ejus operis, quod postea contra nunciationem factum est. Hoc enim si ita concipiatur, *quod contra nunciationem factum est refutus*, uti concipi debet, *d. l. 20. pr. & §. 3 ff. de oper. nov. nunc.* fine ulla clausula recte concipitur: quia ita jure & editio constitutum est, ne, si opus ritè alicui nunciatum fuerit, is in opere antè perget, quam de causa nunciationis cognitum fuerit, *d. l. 20. pr. & §§. 7egq.* Hoc ergo factum neutra pars in controversiam trahit, aut trahere potest, & haec tenus juris, non facti est, & ipsa ista formula quæ habetur in *d. l. 20. pr.* quamq; suprà diximus magis juris regulam exhibere, quam facti assertionem. *sapr. §. 26. & 27.* Quod si ergo queratur, an post nunciationem factum quid sit, nec ne, cum factum id incertum sit, ritè causa cognoscenda, nec antè de facto hoc dubio statuendum est, quam appareat uti & decisum docet *Mev. p. 7. dec. 21.*

§. 35.

Tale quoque est alterum editum Prætoris, quo è contrario, cùm operis novi nunciatione remissa, aut satis datum fuit, permittit opus continuari, & quò minus id fiat, vim fieri vetat. *d. l. 20. §. 9. l. 8. §. 4. eod. tit. l. un. pr. ff. de Remiss.* Quod pariter sine ulla clausula fieri potest, quia judex cognovit causam nunciationis, eamque sententiā judicavit non esse licitam

*de Abuso Mandatorum sine Clausula.*

15

citam vel non tenere, adeoque opus permissum esse.  
Quando igitur quo minus hoc opus facere liceat  
vim fieri vetat Jūdex, nihil aliud id est, quām man-  
datum de satisfaciendo rei iudicatæ, ubi de jure &  
de facto judici constat *supr. §. 21.*

§. 36.

Eadem ratione certum est, generalia mandata  
de non offendendo, &c. sine ulla clausula edi posse:  
nullum enim factum continent, de quo contendi  
possit, sed ipsam regulam juris generalem; ne alter  
alterum laedat aut offendat, cui contradici nequit.  
At si ad facti specialis querelam res ducatur, & in  
quaestione veniat, an offenderit vel injuriam fece-  
rit, nemo sanus dubitabit, quin, qui asserit, id pro-  
bare, atque ita causa rite cognosci debeat. *Mev. d. l.*

§. 37.

Unde sanè evidenter apparet sensus & finis pri-  
mi casus, si ipso jure per se aliquid vetitum fuerit:  
scil. quoties vel factum æquè ac jus judici liquet, *supr.*  
*§. 35.* vel non de certa facti alicuius dubii specie, sed  
de jure generali & ipsa quasi juris regula mandatum  
concipitur *supr. §. præc.* Tum enim quia illud quod  
mandatur controversum non est, sed ipso jure per se  
patet, adeoque cognitione opus non est, purè sine ul-  
la clausula mandari potest.

§. 38.

Propter reliquos igitur casus non potest reus  
mandatis adigi, ut aliquid praestet, aut jure seu pos-  
sessione cedat, nisi, si neget, dubiique id facti sit,  
causâ cognitâ, adeoque additâ vel sub intellectâ clau-  
sulâ. Verum ut interim, donec de jure cognitum  
fuerit, res integra ac in eodem statu, quo est, ma-  
neat,

neat, propter hujusmodi causas interdici pro re nata posse, juris ratio non repugnat. Huc pertinet tertium interdicendum novi operis nunciationis, quo Prætor opus interim fieri prohibet, donec de jure partium decisum fuerit, l. 3. §. 1. l. 5. §. 10. l. 16. ff. de oper. nov. nunc. idque propter utilitatem publicam, ut evitetur destruētio ædium, quam fieri necesse esset, si deinde appareret, eum non jure ædificasse: atque ita contra utilitatem publicam aspectus urbis ruinis deformaretur. Ejus enim in hac materia rationem habitam fuisse, ex d. l. 20. §. 10. ff. de oper. nov. nunc. magnamque Rōmæ ædificiorum semper curam studiūque fuisse, ex aliis quoque Juris causis constat; ut ex tit. de tign. junct. l. 1. ff. In quib. caus. pign. tac. &c.

## §. 39.

Hactenus igitur nulla iniqüitas est horum mandatorum, et si nulla planè clausula adjecta fuerit: quia omnia parti integra manent, nihilque ipsa præstare aut cedere tenetur. Et si verò interim cogatur intermittere aliquid, v. gr. opus vel usum, id tamen satius est, quam majus deinde incommodum experiri, ut fieret in casu, quo periculum est in mora, vel dampnum irreparabile aut publicum sequeretur: quæ sunt tres illæ causæ reliquæ, de quibus agitur in d. Ord. Cam. part. 2. tit. 23. Quorum proinde causum intra hos terminos manifesta æquitas & ratio est, ut majoris mali incommodo evitandi gratiâ, res interim in integrō eodemque statu relinquatur, dum cognosci de jure queat: maximè cùm & illa pars, quæ cessare interim cogitur, si deinde per hanc moram vel cessationem, culpâ adversarii fortè, damni aliquid passa est, deinde, ubi de causa cognoscitur, id repa-

reparari ei poscit: interea vero utriusque parti tutius sit, rem integrum relinquere; quia & illa pars, quæ interim cessat, majori omnino incommodo afficeretur, si deinde causâ cognitâ damnandus esset ad detruenda vel reparanda ea quæ interim fecerat.

§. 40.

Ut adeò intra hos terminos ex omni parte his causis sua accurate ratio & justitia confert, certumque planè sit, hos esse fines, hunc sensum horum quatuor casuum; tum quia, si mandata sine clausula hos fines excedant, non justitiae sed injuriæ executio, non juris sed Prædonum processus videri posset, per haec tenus tradita: tum, quia in ipsa Ord. Cam. expressè restringuntur mandata sine clausula & prædictæ quatuor causæ, ad casus quibus jure communi licitum est ab hujusmodi mandatis initium fieri: *Ord. Cam. part. 2. tit. 23. verb.* Dann in solchen und sonst andern Fällen/ in denen NB. vermög der Rechten/ à præcepto ohne vorgehende Erfährtuñß/ angefangen werden mag/ sollen und mögen mandata ohne justificatori clausul erkant/ und NB. ohne einige Wiederrede oder Verhinderung vollzogen werden. Atqui toto jure nulli penitus casus extra prædictos fines apparent, nullique afferri ex ulla juris parte possunt: tantum abest, ut quis aliquid alteri præstare aut cedere jure communii in re dubia teneatur, causâ non cognitâ.

§. 41.

Fortè erunt qui objicant, posse etiam ultra hos fines mandata sine clausula dari, iisque reum ad præstandum aliiquid vel cedendum adigi, quia, etsi in facto dubii quid sit, dantur tamen exceptiones sub- & obceptionis, & his quoq; mandatis ineft clausula, licet differre illa à justificatoria dicatur. Etenim per justifi-

C

fica-

18

*Disputatio Juridica Inauguralis*

ficatoriam clausulam permittitur parti adversæ, Uhr-  
sachen vorzubringen / warum die Mandata nicht statt  
haben sollen. *Ord. Cam. d. tit. 23.* Per alteram autem,  
Uhrsachen anzugeben / warum er in die angesezte Straf-  
se nicht verfallen.

§. 42.

Verum nihil certius est, quām si ultra prædictos  
fines de facto dubio & non liquido mandata dentur,  
utramq; clausulam re & effectu coincidere, & poste-  
riorem quoq; quicquid laborent de differentia adstru-  
enda, reverā & planè esse justificatoriam, & quæcun-  
que afferunt discrimina, justificationem, quæ utriq;  
ineft, neutiquam tollere.

§. 43.

Id verò, si quicquam aliud, manifestissimum vel  
inde fit, quod his mandatis exceptiones sub- & obre-  
ptionis opponi possint, *Gail. 1. Obj. 14. per tot. Mero. part.*  
*7. dec. 21. per tot. Zanger. part. 2. cap. 18. n. 17.* quarum ea  
est potestas, ut reus, quicquid in facto, quod Actor re-  
tulit, falsum vel omisum est, exponere, atq; ex eo  
intentionem actoris elidere possit, quo cognito sen-  
tentia inde fertur. *L. 2. C. Si contr. jus vel util. c. 2. X. de Re-*  
*script. ubi Zæf. n. 27. & seqq.* Atqui in eo vertit universa  
justificationis ratio, nec in alia re illa consistit, quām  
ut relatio facti actoris à reo impugnetur, doceaturq;  
quid falsi relatum, quid veri omisum sit: etenim jus  
inter partes non disceptatur, quod judex administrat  
& supplet, sed de facto contenditur. Hujus igitur re-  
latio cùm oppositis sub- & obreptionis exceptionibus  
destrui, ejusq; vitia vel falsa exhiberi à reo possint, in-  
tegra ipsi planè est defensio & cause suæ justificatio;  
atq; adeò & his mandatis inesset clausula justificatoria.

§. 44.

Idem ostendit clausula, quæ his mandatis expres-  
se

se inseri solet, & quā permittitur reo, Ulyschen anz  
zuzeigen/ warum er in die angesezte Straffe nicht ver-  
fallen sey. Si igitur mandata hæc de facto dubio quoq;  
edi possunt, certum est, cūm pœna ex actoris relati-  
one facti dictata sit, & hanc cessare, si relatio facti falla-  
vel imperfecta fuerit; & sic hoc ipso reus justam  
causam allegat, cur in pœnam non inciderit, dum  
contendit, relationem actoris, ex qua & pœnæ & man-  
dati effectus prodiit, falsam vel imperfectam esse,  
adeoq; & quicquid inde illatum est, ultro concidere.  
Hoc autem id ipsum est, quod & per clausulam justi-  
ficatoriam obtinetur.

§. 45.

Quarum rerum evidentiâ adeò convictus fuit  
gail l.l.0.14.n.3. ut fatetur, mandata sine claus. in effectu,  
quoad pœne commissionem, parum aut nihil à mandatis cum  
clausula differre. Quo nihil verius, si mandata non in-  
tra prædictos fines, sed de facto dubio concipiuntur.  
Sanè, ante O. C. d. t. 23. nusquam horum mandatorum  
mentio facta appetet.

§. 46.

Nimium autem à tramite aberrat Frid. Mind. d.  
tr. cap. 15. n. 4. & 5. cūm differentiam utriusq; clausulae  
& mandati in eo sitam tradit, quod in mandatis cum  
clausula admittantur etiam exceptiones, que ipsam causam  
principalem concernunt; in mandatis sine clausula non item.  
Et hinc ait, in causa pignorationum & arresti, reum non audi-  
si, si dicat, ea jure facta esse, aut adversarium vi, clam, aut pre-  
cario posidere, & similia, que non tam factum ipsum ejusve  
enormitatem & requisita constitutionis &c. quam merita cau-  
sa, ordinario petitorio vel possessorio seorsim disceptanda re-  
spiciunt.

§. 47.

Hæc verò longè aliter se habent, & vix est, ut a-  
liquid minus ad rem dici potuerit. In utroque man-  
dato

dato exceptiones tantum admittuntur contra factum & causam, de quibus mandatum concipitur; ultra ea in neutrō; nec haec quicquam differunt. Quodsi igitur mandatum de actu pignorationis aut arresti illico, & legibus Imperii prohibito conceptum sit, unicē quæritur an actus talis, qualis lege Imperii prohibitus est, commissus fuerit; adeoque, sive mandatum cum clausula sive sine clausula concipiatur, non possunt aliæ exceptiones opponi, quam quæ ad hanc causam pertinent, & quibus reus defendit, talem actum, uti legibus prohibetur, se non commisſe. Et falsissimum igitur est, cùm causa illicitæ pignorationis tractatur, reum, si mandatum cum clausula esset, posse exceptiones opponere alterius causæ, v. gr. de jure pignoris, quæ alia quæſtio & petitorii causa est: vel alterum vi posſidere, quæ possessorii disceptatio; cùm hic unicē quæſtio sit, an is actus commissus sit, quæ lege publica prohibitus est. Ita, si quis se vi dejectum possessione dicat, constat ipsi dari mandatum cum clausula; & tamen reus, qui dejecit, non potest excipere, quod auctor non jure possederit, quod petitorii est, vel alia quæ ad præsentem spoliatae possessionis causam non pertinent, et si mandatum cum clausula sit. Quin etſi planè mandatum non sit, sed causa ordinaria, non tamen reus excipere potest ad ea quæ in judicium ab auctore deducta non sunt, nec ad præsentem causam pertinent. Hæc quis nescit? Ut adeò constet, quam ipsi impliciti materiam hanc implicuerint, quod pace Viri Juriū Cameræ periti dictum sit. Et certum ergo est, haec mandata & clausulas non differre.

§. 48.

Quod verò jam dictum atq; demonstratum planè est, quam ab omni ratione & jure abhorreat processus

cessus mandati sine clausula extra hos fines, seu in re facti dubii, ei fortè regeres, istam iniquitatem hoc ipso tolli, quod conceditur parti defensio, oppositis, ut dictum, exceptionibus sub- & obreptionis, quæ quò laxior & clausulæ justificatoriæ similior intelligitur, eò minus supereft ulla de negata defensionis facultate conquerendi causa.

§. 49.

Verùm enim vero, eam extensionem mandatorum sine clausula conjunctam esse cum incredibili partis adversæ, & in primis Statuum Imperii injuria ac præjudicio, manifestum est. Nam si mandata sine clausula decernantur extra fines suos & in casibus facti dubii, quibus cognitio causæ & justificatoriæ clausulæ facultas permitti debet, hæc maximi momenti præjudicia seqvuntur.

§. 50.

Ut prætereamus, I. odiosum in genere esse mandatorum processum, quò non tantum à præcepto inchoatur, sed & statim pœnarum diræ junguntur; cùm mandatis semper & ab initio addenda sit in eventum pœna. Blum. de Proc. Cam. tit. 34. §. 8. 14. & seqq. in primis in mandatis sine clausula id odiosissimum, in causis ordinariæ cognitionis ad narrationem unius partis non tantum pœnam adjici, sed & in eventum actu declarari reum in pœnam, uti constat ex formula apud Bluhm. d. tit. 34. §. 14. & segg. Hoc ne privati ferunt, in causis, ubi ipsa pars adversa factum fingit, antequam reus unquam auditus fuit, jam exagitari pœnis & pœnarum declarationibus, cùm & in privatis grave ha beatur, pœnas mirari & vagari cum alterius fama.

§. 51.

Sunt alia graviora. Hoc modo enim II. Status Imperii

peril privantur privilegiis Austregarum & primæ instantiæ, quæ tantâ curâ ac sollicitudine ipsiis publica lege concessæ sunt. In causis enim mandatorum sine clausula censetur fundata Camerae Jurisdictio in prima instantia; idq; ideo, quia mandata illa non concipiuntur nisi de facto non dubio, in quo nulla causa cognitione, sed tantum executione opus est. Hinc cùm nulla Austregis executio competat, sed Camerae, vid. Diff. Dn. Pres. de Norion. Austreg. haec causa mandatorum sine clausula, quæ sola executione expediendæ sunt, Cameræ vindicantur. Jus publ. Dn. Pres. cap. 32. §. 18. Quod si igitur talia mandata decernantur ultra fines suis, & causæ facti dubii in Camera tractentur, Statu exuntur primis suis instantiis; &, cùm nulli jam certi fines amplius sint, si in causis facti dubii quoq; admittuntur, in infinitum id extendi potest, ac res mere arbitraria esse incipit.

## §. 52.

III. Privantur etiam hac ratione Status Imperii beneficio reconventionis Cùm enim in mandatis sine clausula non admittantur aliæ exceptiones quam sub- & obreptionis, longè minus admittitur reconventio. Id vero commodissimum iuxta ac aquisimum est beneficium, quo pars conventa eodem judicio & sibi consulere, & res saxe compensationibus transfigi potest; adeoq; semper, cùm mandata prædictos excedunt fines, unâ ab hoc commodo & jure suo Status excluduntur.

## §. 53.

IV. Singulariter quoq; constitutum est in Rec. Imp. 1654. §. 77. ne in mandatis sine clausula ultra replicam procedatur, adeoq; actor bis, reus non nisi semel audiatur; cùm è contrario in jure rei conditio melior, & defensionis favor major sit, idq; merito. Et licet addatur, salvo Judicis arbitrio, tamen & hoc grave parti, id quod jure sibi competit à libidine & natu Judicis suspendere. Hujus igitur Juris singularissimi ad alios casus extensio maximum afferit parti conventionæ præjudicium.

## §. 54.

Hæc tanta & tam gravia præjudicia, ut alia hunc transamus

ſeamus, parit Statibus Imperii conventis horum mandatorum ultra limites ſuos extenſio, idque in infinitum; etenim, ubi ſemel de factis dubiis quoque mandata haec admittuntur, atque adeo illi, qui ſoli jure poſiti ſunt fines, moventur, nulli alii reliqui ſunt; ſed omnia propre in horum mandatorum formas verti poſſunt, omnesq; Statuum cauſæ ab incerto jure & libitu Judicis pendent.

## §. 55.

Uti è contrario, ſi mandata haec intra iuftos & lege ſta tutos fines coērceantur, omnibus ſua conſtat ratio, & clauſula, inſeri iis ſolitæ, ſuus effectus. Etenim ſi factum & juf certum ſit, vel non de facto ſed de eo tantum conceptū ſi mandatum, ut interim aliiquid ſuspendatur ob iuſtificatias, exceptions rei non eò pertinent, ut quod mandato continentur impugnat, ſed ut cauſam hanc adiectam refellant. Igitur, ſi inhibeatur interim mandato S. C. opus, reus non allegat opus non fieri, aut factum non eſſe, aut prajudicium eo non fieri; ſed non eſſe periculum in mora, eti ante inhibitionem cauſa cognoscatur, nec damnum irreparabile, nec prajudicium publicæ utilitatis, adeoq; poenæ locum non eſſe. Illa vero cauſa, an opus fiat in prajudicium actoris, huic non pertinet, ſed ubi mandati cauſa, an interim defiſti ab opere debeat, peracta eſt, tum demum cauſa nunciationis rite cognoscitur ac ordinario jure iuſtificatur.

## §. 56.

E contrario, ſi quis, quod vi ablatum dicitur restituere jubetur, quod non fit niſi cum clauſula, reus exceptionibus ſuis ipsum hoc factum impugnat & vi ablatum negat; ſic de hoc ipſo facto dubio, non faltem de eo, an periculum in mora fit, &c. cognoscit: & ſic demum intra hos limites mandatorum & clauſularum diſſentia evidens redditur.

## §. 57.

Cœterum, quod diximus, mandatum ſine clauſula dari poſſe, ſi non factum dubium, ſed ipsum juf mandato contineatur, *ſupr. §. 21.* non promiscue fieri debet, quin regulariter inutile eſt ita interdicere, *Quod dolо queſiſti, redde.* nec de jure partes diſceptant, aut de jure proceſſu opus eſt, ſed de facto,

facto. Et alias hoc quoq; in infinitum fieri, & omnes causae in manda-  
ta sine clausula redigi possent, si formam juris & regulam praeceptum con-  
cipieretur: v. g. *Quam mutuan pecuniam acceperisti, rede.* Hoc sine illa  
clausula praecepit potest, sed, si id liceret, omnia fierent mandata sine  
clausula, & ex illicenter in omnibus illa praejudicia, de quibus jam di-  
ximus §. 50. & seqq.

§. 58. Igitur non aliter id permissum est, quam ubi talia interdi-  
cta ex jure prodita sunt; quod non nisi in paucissimis casibus & singu-  
larissimis causis factum est, v. g. ut opus, quod post nunciationem fa-  
ctum est, restituatur. Facilius vero sit, ut mandetur, ne in futurum visiat;  
id enim sine praejudicio mandari potest, atque ut mandetur publice expe-  
dit. Alias vero à citatione & cognitione, & ne à mandatis quidem  
cum clausula inchoandum esse, satis constat.

§. 59. Tale quoq; interdictum in Imperio specialiter ob publi-  
cam securitatem constitutum est, ne pignorationes vel arresta fierent, quae  
ejusdem generis sunt ac illud, ne post nunciationem opus fiat; quod  
& ipsum publice utilitas causam habet. *sap. §. 23.* Hac omnia igitur  
per modum Juris sine clausula concipi possunt, *Quae pignora contra le-  
gem capta aut arresta facta sunt, dimittas:* uti illud: *Quod post nunciatio-  
nem factum est, restituis, sed plane inutiliter, quia de eo non contenditur,*  
sed de facto, & hinc, si reus neget contra legem pignus captum  
aut arrestatum fuisse, de facto hoc ipso cognoscitur, & reo integra est  
causa sua iustificatio: uti apud Mev. d. p. 7. dec. 21. cum mandatum es-  
set sine clausula, *Quod post nunciationem opus factum esset, restitui;* & reus  
appellare vellet, appellatio tamquam frustranea rejecta fuit, eò quod  
integra ipsi est defensio & iustificatio in eadem instantia.

§. 60. Unde liquet, hujusmodi mandata ita generaliter in va-  
num ediri, sed eò redire uti, si reus neget, de facto contendatur, idque dein-  
ceps cognoscendum sit. Effectu itaque perinde est, acsi mandatum de  
facto conceptum esset, uti & hodie concipi solet, & scil. allegato facto,  
prout auctor retulit, mandatur restituiri. Hoc igitur mandatum revera  
est de facto dubio, adeoque cognitio necessaria. Sed & hæc permitti-  
tur, adeoque re omnino est clausula iustificatoria, & conceditur plati-  
nissime iustificatio facti, & tamen dantur inde mandata S. C. Cujus  
rei nulla quidem inde est difficultas, quod omissa sit clausula, nam nihil  
ominus permititur iustificatio; nec adeo jure communi quicquam  
refert; sed inde, quod tanti præjudicii effectus, qui mandata S. C. sequun-  
tur, & *sap. §. 51. & seqq.* partim relati sunt, huc extendantur.

§. 61. Hoc igitur cum singularissimo jure in odium talium pi-  
gnorationum & arrestorum (quibus & captura personarum maximè  
continetur) contra rationem communem constitutum sit, tanto magis  
cavendum est *juxta l. 14. ff. de Legib.* ne ad alios casus extendatur, sed man-  
data S. C. cum odiosissimis suis summiq; præjudicii effectibus stridissime  
finib; suis cohibetur. *Quod & saluberrime præcipitur in R. I. noviss. §. 79.*  
his verbis: *Wie dann auch die mandata S. C. alleine in den 4 Fällen &c erken-  
net u. außer denselben nicht zugelassen/ sondern daben jedesmahls die  
dazu erforderliche Umstände u. Requisita fleißig beobachtet werden.*


**ULB Halle**  
002 376 954



3

sb

VD 18





B. C. D. 1706, 3a 3

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
**A BUSU MANDATO-  
RUM SINE CLAUSULA,**  
Quam  
IN ALMA VIADRINA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*AUGUSTO ET SERENISSIMO REGIO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE ELECTORATUSQUE BRANDENBURGICI  
HEREDE, &c. &c. &c.  
*Ex DECRETO & AUTORITATE MAGNIFICI JCTORUM  
ORDINIS IN ALMA VIADRINA,*  
PRÆSIDE  
**DN. HENRICO COCCEJO,**  
AUGUST. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIAE  
CONSILIARIO INTIMO,  
*DOMINO FAUTORE atq; STUDIORUM SUORUM  
PROMOTORE ETERNUM DEVENERANDO,*  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES  
rite capesendi,  
*Ad D. XVII. Julii Ann. M DCCVI.*  
IN AUDITORIO MAJORI  
*Horis ante- & pomeridianis*  
Publicæ Eruditorum disquisitioni subjiciet  
**REGNERUS CASP. HENR. HOMBERG.**  
Hasf. Casf.  
FRANCOF. ad VIADR. Literis CHRISTOPH. ZEITLERI.